

- AN.* vidē siquid opī' potēs adferre huic. *GE.* "siquid"? 20  
 quid? *AN.* quaere obsecro,  
 nequid plus minusve faxit quod nos post pigeat, Geta.  
 555 *GE.* quaero.—salvos est, ut opinor; verum enīm metuo  
 malum.  
*AN.* noli metuere: una tecum bona mala tolerabimus.  
*GE.* quantum opus est tibi ḥargenti, loquere. *PH.* solae  
 triginta minae.  
*GE.* triginta? hui percarast, Phaedria. *PH.* istaec vero 25  
 viliſ est.  
*GE.* age age, inventas reddam. *PH.* o lepidum! *GE.*  
 aufer te hinc. *PH.* iām opust. *GE.* iam feres:  
 560 sed opus est mihi Phormionem ad hanc rem adiutorem  
 dari.  
*PH.* praestost: audacissime oneri' quidvis impone, ecferet;  
 solus est homo amico amicus. *GE.* ēamus ergo ad eum  
 ocious.  
*AN.* numquid ēst quod opera mea vobis opū' sit? *GE.* 30  
 nil; verum abī domum  
 et illam miseram, quam ego nunc intu' scio ēsse exanimatam  
 metu,  
 565 consolare. cessas? *AN.* nil est aeque quod faciam  
 lubens.—  
*PH.* qua via istuc facies? *GE.* dicam in itinere: modo  
 te hinc amove.